

**A** mouendi. Principio autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit. Siquidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod à seipso mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: uel concidat omne coelum, omnisque natura consistat necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua à primo impulsu moueatur. Cum pateat igitur, æternum id esse, quod à seipso moueatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum autem est omne quod impulsu agitur externo. Quod enim est animal, id motu cietur interiore & suo. Nam hæc est propria natura animæ atque uis. Quæ si est una ex omnibus quæ sese moueat, necque nata certe est, & æterna est. Hanc tu exerce optimis in rebus. Sunt autem hæc optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitur & exercitatus animus, uelocius in hanc sedem & domum suam peruolabit. Idque ocyus faciet, si iam tum cum inclusus erit in corpore, eminebit foras: & ea quæ extrinsecus erunt contemplantur, quam maximè se à corpore extrahet. Namque eorum animi qui se uoluptatibus corporis dediderunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum uoluptatibus obedientium, deorum & hominum iura uolauerunt, corporibus elapsi circum terram ipsam uoluantur, nec hunc in locum nisi multis exagitati seculis, reuertuntur. Ille discessit, ego somno solutus sum.

## MACROBII AVRELII

THEODOSII VIRI CONSULARIS ET ILLUSTRIS IN SOMNIVM SCIPIONIS expositionis quam elegantissimæ liber primus.

Quæ differentia & quæ similitudo sit inter Platonis ac Ciceronis de rep. libros: Curque aut ille in dicitur Eri, aut hic somnium Scipionis operi suo ascriuerit. Caput I.

**I**NTER PLATONIS ET CICERONIS libros quos de rep. uterque constituit, Eustachi fili uirtutis mihi dulcedo pariter & gloria, hoc interesse prima Differentia. fronte perspeximus, quod ille rempublicam ordinauit, hic retulit. Alter qualis esse deberet, alter qualis esset à maioribus instituta, differuit. In hoc tamen uel maximè operis similitudo. tudinè seruauit imitatio, quod cum Plato in uoluminis conclusionè à quodam uitæ reddito, quam reliquisse uidebatur, indicari faciat, qui sit exutarum corporibus status animarum, adiecta his quadam sphaerarum uel siderum non otiosa descriptione: rerum facies non dissimilia significans, à Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narrat. Sed quod uel illi commento tali, uel huic tali somnio in his Cur aut Plato Eri reuiscere, aut Cicero Scipionem somnio excitatum induxerit. potissimum libris opus fuerit, in quibus de rerum statu loquebatur, quò ue attinuerit inter gubernandarum urbium constituta, circulos, orbis, globosque describere: de stellarum modo, de coeli conuersione tractare, quæ sit dignum & mihi uisum est, & alijs fortasse uideatur: ne uiros sapientia præcellentes, nihilque in uestigatione ueri nisi diuinum sentire solitos, aliquid castigato opia in ie-